

**Dissertatio medica de medicamentis domesticis, eorumque usu in  
dysenteria / Resp. J. Bergius.**

**Contributors**

Bäck, Abraham, 1713-1795.  
Bergius, J.

**Publication/Creation**

Upsala : [publisher not identified], 1741.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zftnmvz7>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

1180 - 71

Q. B. V.

in ones platen

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O MEDICA,

DE

# MEDICAMENTIS DOMESTICIS,

Eorumque Uſu

IN

# DYSENTERIA,

Quam,

Ex Consensu Ampliss. Facult. Medicae

In Reg. Upsal. Athenæo,

Publico examini subjiciunt

AUCTOR

# ABRAHAM BÆCK,

Medicinæ DOCTOR,

ET

RESPONDENS

STIPENDIARIUS REGIUS,

# JOHANNES BERGIUS,

CHRISTINÆHAFFNIA - VERMELANDUS.

In Audit. Carol. Major. die XXVIII Febr.

ANNI MDCCXLI.

EG Sager

Horis ante meridiem solitis.

UPSALLÆ impressa.

**D**iversa omnino habentur de medicamentis domesticis iudicia. Quidam absolute damnant, saltem suspecta habent, & clamat relinquenda esse empiricis. Alii venerantur hæc sola, solis confidunt, exotica omnia noxia pronunciant. Utrosq; a regia veritatis via aberrare sentio. Neque enim potuit Deus O. M. cum plurima ad victum & amictum concederet, omnia nobis denegare media tuendæ recuperandæq; valetudinis, sine qua mors sepe ipsa vitæ tolerabilius. Neque fas est credere omnia nobis esse noxia, quæ alius terræ incolis salutaria, aut ea, quæ nostrum fett solum, jam selecta & probata esse, ut secure omnia in usum trahi queant. Ego sanitati prospicendum judico medicamentis efficacibus; unde desumpta fuerint, minus quæro. Domestica vero, quando æquipollent externis, lubens adhibeo; ut domestica excolantur opto & desidero, jubet quoque in Svecia nostra spatioſa nec oppidiſ frequente, necessitas. Sæpe quadraginta milliaribus distant officinæ pharmaceuticæ, & Medicos provinciales longior terrarum tractus discriminat. Neque vero omnibus provinciis dati sunt, neque stipendio fruuntur, quod impensis excursionum ad ægros sufficeret. Dolui sæpe vicem hominum in illis regionibus, cum alias, tum si epidemii morbi graventur, ut Dysenteria, Pleuritis &c. Quæcunque offert casus, improvide tentant, aut morbum suis furoribus permittunt; ubique funera & lacrymæ. Tum quidem medicamenta domestica, quæ tuta & efficacia, e re essent. Illa vero pauca sunt, in tanta ubertate apud Arv. M. Rydaholm, Palmberg, Lind, Brochman & alios, qui conquirunt undique male captas observationes, & pejus referunt. Ut his malis obviām iret Academia Scientiarum Svecie, non tantum proponit quæſionem: *Hwilkā inhemske Läkedomar äro sā rönte, at de altid kunna bota wissa sūkdomar* Act. V. I. p. 184; sed etiam generosum ipsius Membrum docte monet Act. V. I. p. 267. populares suos de colligendis historiis remediorum domesticorum, & ad Academiam mittendis, ut ipsius examini subiicerentur. Applaudebam hisce consiliis, & Publicæ rei tacitus gratulabam. Cum vero perpendarem multorum præjudicia, quod inveniantur remedia domestic. per experientiam qualecumque, nec opus sit attentione illa, quam in aliis requirimus observationibus; verebar ne pro historiis medicamentorum domesticorum mitterentur malè captæ observationes, & fabulæ examine haud dignæ. Ad eoq; optabam ut innotescerent omnibus veræ experientiæ criteria, & multa alia ante necessaria, quam nomine *medicamenti domestici* res aliqua tradi, aut agnosci, aut usurpari tuto possit. Volueram de illa re Illustri Academiæ Scientiarum meditationes meas offere; interim de Dissertatione, quam vides, cepi consilium. Caput II:um sistit brevem historiam medicamentorum domesticorum, quæ proficua deprehendi in *Dysenteria Suderhamniæ Helsingorum epidemiam*, Anno 1739, mense Septembri, & rogatu Magistratus ejusdem loci, Satrapæ Nordlandiarum significavi. Habes B. L. instituti mei rationem. Habeo operæ pretium, si memineris, dum quidquam pro medicamento domestico venditatar, & requisitorum, quæ demonstravi. Mitem, quæſo, agas censorem cogitationum, quas festinante manu in chartam conjectas ipſe ingenue facias.



## CAPUT PRIMUM.

### *De Medicamentis domesticis in genere.*

#### §. I.

**N**omine medicamentorum veniunt mihi ea instrumenta, quæ per experientiam inveniuntur apta dirigendis viribus corporis humani ad sanitatem.

Per experientiam, quam constituo inventricem medicamentorum, intelligo eam cognitionem, quam attendendo ad nostras perceptiones acquirimus. Dicitur alias indagatio veritatis a posteriori. Confer Wolffii Log. Lat. C. de Experientia. Sic enim constat, quantum tribuam rationi in rebus fori medici. Rationalem volo experientiam, regulisque conformem, quibus dirigitur intellectus in veritate cognoscenda. Aliam homine dignam nego. Pauca quoque rationi pervia, nisi præente experientia, assero. Et hanc ipsam sententiam suam fecit, quadringentis ante Christum natum annis Hippocrates; *Qui tempus*, inquit in Lib. Præceptionum, & occasionem novit, medicinam facere debet, non priori ratiocinationis persuasiōni se applicans, sed usui cum ratione. -- Collando igitur quaque ratiocinationem, si ex obser-

rationibus initium ducat, & ex phænomenis ipsam deductio-  
nem methodo prosequatur. - - Intellexus ubi res a natura ac-  
cepit, a posteriori ad veritatem dedit; sin contra non ab e-  
videntibus factis, sed a persuadente rationis fictione accipiae,  
gravem sèpe & perniciosaam affectionem inducit. Tales vero ex-  
tra viam operantur. Bene utique de Medicina meriti  
essent posteri, si venerandi hujus senis præcepto ob-  
temperassent. Fateor inquiri cum ingenti fructu in  
virtutes medicamentorum, ut de his præcipue loquar,  
a priori; sed inventa sunt experientiæ subjicienda exami-  
ni, antequam in usum trahi possunt. Juvat, si o-  
perandi modum intelligis medicamentorum; sèpe ta-  
men eo ignoto, salutem ægri, quæ suprema Medi-  
cis lex est, promovere vales. Paræus feliciter adhi-  
buit in punctura nervi periculosisima CAROLI IX. Re-  
gis Galliarum, ex male administrata Venæsectione,  
mixturam spirituum Vini & Terebinthinæ, quamvis caus-  
sam phænomeni minus bene reddere posset in Lib. 9.  
. 38. Cur Ipecacuanha vomitum excitat, Rhabarba-  
rum & Helleborus niger catharsin moveant, res est ad  
liquidum non perducta, quamvis toto die a medicis cum  
successu præscribantur. Neque tamen hoc ipso Empi-  
ricam infero Medicinam, seu historicam effectuum  
medicamentorum cognitionem, quam suggessit mala &  
inadæquata experientia. Eam noto & arceo. Simul  
tamen effrenam fingendi licentiam, & extra naturam  
in rebus naturalibus sapiendi pruritum explodo.

Ceterum rectè suppono vires in subjecto, cui ap-  
plicantur medicamenta, siquidem omnimoda virium  
destructio ipsa mors est, in quo corporis statu frustra  
sunt Medicus & medicamenta. Videbat Hokius mor-  
tui animalis cor moveri & arterias pulsum agere, in-  
sufflato per laryngem aëre, follis ope; experimentum,

in

in quo quis crederet artem usam fuisse viribus corporis, quarum jamdiu omnimoda erat privatio. V. Boerk.  
Orat. de usu ratioc. Mech. in Med.

§. 2.

Per experientiam inveniuntur medicamenta  
§. 1. omnis vero cautio & diligentia adhibenda est, ne fallaci experientiae larva decipiatur, quisquis medicamenta tradere cogitat. Adeoque non aliis ad experientiam suam provocet, quam qui summa sollicitudine attendit factum ipsum omnesque facti circumstantias, deinde quae ab experimento sequuntur, castissimo infert ratiocinio.

His notis dignoscitur vera & adæquata experientia: Confer Logicos. Et haec sola tanto nomine digna est. Sola dijudicat ea, quae hominis vitam, qua nobilis nihil, nihil carius, servant aut destruunt. Sed cum ea, quae pulcra, difficultia sint; & haec nostra periculosa appellatur Hippocrati Apb. S. I. a. i. cum ob eminentiam objecti, in quo non bis peccare licet, tum ob mille errandi pericula. Illud quidem innuere voluerunt Viri in arte nostra celeberrimi, commentariis de experientia dubia ac fallaci, vide Bobnii Dissertationes & Boylei Op. Facile enim seducitur incautus, & experientiae specie illuditur, si unica omissa fuerit circumstantia, quae ad rem facit; aut si ab experimento deductas conclusiones subierit paralogismus. Historia naturalis & Medicina abundant, quod dolendum, exemplis; Integras Poterii observationum centurias aut fictas, aut male captas credunt viri magnae peritiæ ac famæ, inter quos Guido Patinus. Idem de medicamentis a Sennerto in Praxi commendatis suspicatur Welschius in Annot. ad Walai Meth.

Simonis Paulli egregium assertum, quod Angelica promiscue omni sexui, quacunque formâ usurpata, asthmate & veteri tussi laboranti, oppido proposit, fefellit in praxi spem Collectorum A. N. C. Vr. vide *tr. de Exper.* p. 7. Pœoniam collo appensam multi pro Ant-epileptico universali venditant, sed nullum ipsius effectum vidit inter alios Primerosius. Quod hi omnes falsa retulerint mala decipiendi voluntate, non credo, sed ajo eos experientæ larvâ deceptos, cum neque sollicitè ad factum attenderent, neque scirent modum ponere ex facto ratiociniis.

## §. 3.

Illa medicamenta §. 1. dicuntur mihi *domestica*, quæ non ex longinquis transportantur oris, nec operosa egent præparatione.

De duobus medicamentorum generibus communiter loqui solemus, Pharmaceuticis proprie ita dictis, & domesticis. Illa præparantur arte Galenico-Chymica, nec facile extra Pharmacopœas haberi possunt. Hæc domi nata, simplicia & parabilia dicuntur, nostris Huslåkedomar, Husmedel, totusque curationis processus, Huskur. Per me licebit, si quis voluerit domesticis annumerare camphoram, crocum & alia, quæ fere ubivis in Svecia nostra venum exponuntur.

## §. 4.

Quæ de medicamentis in genere dicta sunt §. 2, valent in specie de domesticis §. 3. inventiuntur enim per experientiam, dum summa sollicitudine attendimus ad factum ipsum factique omnes circumstantias, & quæ ab experimento sequuntur ratiocinio inferimus castissimo.

Para-

Paradoxa erunt hæcce primo intuitu, sed illis ferre, qui non cogitantes, quanti sit habenda hominis vita, de medicamentis domesticis perfricta fronte singunt & deblaterant, quæcunque obvenerint. Quid, quod natura sæpius his arcta sit, cum magicas delusiones, Deique, quod horrendum est, blasphemias in partes vocare necessum habeant. Cum his mihi non est negotium, neque ab iis commendata pro medicamentis habeo.

Aliud est hominum genus, qui communis de specificis errore persuasum sibi habent, remedia omnia domestica aut esse specifica, aut non mereri domesticorum titulum; quasi quæ dare non potuerant tot medicorum experimenta & lucubrations, in promtu haberet confusa observatio. Nescimus alia specifica, quam quæ fecit experientia justa methodo & applicatione, memores responsionis, quam non nemo dedit discipulis suis arcana Præceptoris quærentibus: *dixite meam methodum, & habebitis mea arcana.* Quid est, quæso, quod toties spem nostram frustrentur liberalia scriptorum medicinæ domesticæ asserta? Aut me omnia fallunt, aut hoc ipsum abunde evincit, suis quoque medicamenta domestica comprehendi terminis, certisque casibus adstringi, in quibus plus vel minus efficacia evadunt. Universalis commendatio medicamenti alicujus semper suspecta est; aut quod non voluit Deus O. M. hominibus ratione præditis, qua bonum a malo distinguere possunt, pro temporis & circumstantiarum rationibus, esset unquam occasio impune abundantis divino dono; aut quod contradictionem involvat dicere caussas diversas morbi tolli eodem medicamento. Sic enim Schreiber p. m. 83, si invenirentur specifica, necessum est, verum mundum, qui existit, in fabulo-

*bulosum degenerare.* Est hæc præcipitantia in judicando, quod medicamentum non nisi in uno tentatum, omnibus commendare velint, qui alias justo tenentur medicinæ domesticæ amore. Ita enim delectamur universalibus, nosque tædet particularium. En exempla ex nostris indicibus medicamentorum domesticorum: *J* all slags lungsot är alt af svafvel præparat, en tjenlig läkedom. v. *Brochmans Hushåldsbok.* Morrot är för styng i bröstet en wiss läkedom. *Pytolæ, Wintergröns decoction* eller brända wattn hejar alla sår inwärtes druckit, alla gamla skador, fistelen och hwad thet wara må. v. *Arvid Månsen Rydholms Hrtebok.* Quibus tamen experientia refragatur. Medicamentum, quod semel sustulit morbum, semper quidem tollit, si fuerint eadem in corpore conditiones, non vero aliæs. Inculcat experientia, cuius est in hac re judicio standum, omnium circumstantiarum habendam esse rationem, nisi errorum scopolis misere divexari velimus.

## §. 5.

Qui experientiæ studet, §. 1. & ad factum ipsum sollicite attendit §. 2. initio probe notat constitutionem habitumque ægri, cui operam tulit medicamentum domesticum. Huc pertinet mentio sexus, ætatis, nationis, parentum, vitæ generis, exantlatorum morborum, individualis habitudinis, & si quæ aliae fuerint circumstantiæ circa ægrum notabiles.

Medicamenta domestica sunt instrumenta apta dirigendis viribus corporis humani ad sanitatem §§. 1. 4. sed vires illæ sæpenumero diversi gradus sunt, pro diversitate sexus, ætatis, nationis & aliarum conditio-

ditionum; diversa itaque incedendum via in dispensatione medicamentorum domesticorum. Non credit artis ignarus, quanta ex observatione dictorum lux oriatur in caussarum indagatione & morbi Therapia. Vix enim minima datur circumstantia, quæ non aliquid in recessu habeat, & in iterata medicamenti applicatione, si negligatur, spem possit fallere. *Natura,* inquit Bagliv. Pr. Med. L. III. C. 3, *nihil frustra molitur, minimaque sunt sepius magnarum rerum initia, & minima queque ad notitiam grandium nos ducunt.*

Sunt morbi temperamentis & sexui proprii' quasi, sunt qui infestant potius infantes quam adultos, hos magis quam senes; & ut senilis ætas tota æruminosa sit, faciunt morbi ei familiares. A parentibus propagantur passiones phthisicæ, hypochondriacæ, affectus calculosi, epileptici & hæmorrhoidarii. Et quamvis raro ea intercedat similitudo inter parentum & liberorum morbos, quæ in historiis a Th. Bartholino in *A. M. H.* recensitis notatur, de quodam magistro organi pneumatici, qui amisit usum digitorum sine violenta cauſa eodem ætatis anno, quo pater, ipse etiam organi pneumatici præfectus; & de matre ac filia primariæ conditionis, quibus oborta est in dextro oculo Cataracta ætatis anno prorsus eodem: indicia tamen hæreditariæ labis non levia quotidie obveniunt. Idiosyncrasia exemplum miræ omnino & singularis habet idem Bartholinus l. c. cum œnopolæ mentionem facit, qui quoties aetum mensæ impositum conspiceret, cohorrescebat & sudore frigido perfundebatur; si non visum hauriret, nihil inde damni percipiebat. Refert quoque de juvene, cui Olaus nomen, quod dum compellaretur dicto nomine, primum perhorresceret, altera vice caput concuteret, & tandem quasi Apoplexia correptus concideret.

Sed

Sed & qua morbos iisque medendi rationem magna oritur diversitas ex regionum distantiis; imo cum tempore mutantur hominum corpora, diæta & vivendi genere mutatis. Quantum differat Germania jam a veteri illa, quam Tacitus descripsit, sive corporis & animi robur, sive habitum & naturam spectes, prolixe exposuere Herm. Conringius, ejusque Commentator Burggravius. Belgæ in dosi Emeticorum & Purgantium nostros superant, in opiatorum Angli. Et memini a Bartholino observatum, quod illis, qui in mari versantur, debeat dosis purgantium & diaphoreticorum ad tertiam partem esse validior illa, quæ exhibetur in terra degentibus. Non sine periculo imitari posset alias Finniæ & Ostrobothniæ incolas, qui fumantia sudoribus corpora ex caldarii ignibus, ut nuda sunt nivibus objiciunt. Plura deberem hujus rei exempla adferre, nisi mihi otium fecissent illi, qui de historiis morborum consignandis agunt. Vide inter alios Hoffm. *Med. System.*

Esse vero necessariam commemorationem temperamentorum habitusque ægri, sic demonstro: Morbus est mutatio functionum corporis a sanitatis statu, in quo faciles, jucundæ & cum constantia quadam peraguntur. Dabitur itaque morbi ratio sufficiens, seu caussa, quam proximam vocant; estque illa, quæ tota simul totum jam morbum præsentem facit, sublata vero tollit eundem. Ergo medicamentum omne ut morbum tollat, morbi caussam removere debet. Sæpe vero ejusdem nominis morbus a diversis imo contrariis caussis pendet in diversis subjectis; vel in uno, alio atque alio tempore. Et cum contrariis caussis removendis impossibile sit ut unum sufficiat medicamentum, patet utique quod qui spe certa successus & sine

sine metu noxa, applicare vult ab alio commen-  
datum medicamentum, scire debeat peccare eandem  
caussam in præsenti casu, quæ peccaverat in morbo,  
cui antea opem tulit medicamentum. Ergo omnia,  
quæ faciunt ad detegendam causam morbi, diligenter  
exponenda sunt in historia medicamenti domestici. In  
hunc censem maxime veniunt temperamentum & habitus  
corporis, quippe quæ una cum caussis occasionalibus con-  
stituunt Proximam; adeoque a Medicis dicuntur *causæ*  
*Predisponentes*, seu tales, quæ corpus ita mutant, ut  
aptum sit morbo suscipiendo. V. Boerb. Inst. §. 74.

Lubet exemplo illustrare hæc omnia, cum mul-  
tum ad rem faciant, & viam sternant dicendis. Senex  
temperamenti phlegmatici, habitus debilis, postquam  
ingesserat cibos dulces, carnem pingvem, potumque  
frigidum, tenuem, atque mox pedes & abdomen  
frigori objecerat, doloribus colicis infestari cœpit  
gravissimis. Svadebat quidam spiritum vini, in quo flo-  
res Chamonillæ erant infusi, & adjecta bona portio  
olei destillati ex seminibus Carvi, nostris Kuminolja.  
Imponebantur abdomini sacculi calidissimi, pleni ave-  
na & sale tostis baccisque Lauri atque Juniperi. Si-  
ne mora levantur dolores. Vir erat XLV annorum,  
temperamenti sanguinei, habitus eufarci, otio & lau-  
ta diætæ vacans, cui ab aliquot annis fluxerant hæ-  
morrhoides; cum aliquando frigori insolito se com-  
misisset, sentit non solum hæmorrhoidum fluxum sup-  
pressum, sed & queritur immanes colicos dolores jun-  
ctos febrili æstui. Forte adest, qui senem, cuius nu-  
per facta mentio, a Colica liberaverat, atque mul-  
tis de felici morbi dicti exitu præmissis, propinat no-  
stro eundem spiritum florum Chamomillæ probe acuz-  
atum Oleo Carvi, similesque sacculos applicat abdo-  
mini,

mini. Tantum vero aberat, ut dolores colici levarentur, ut majori insurgerent atrocias. Voto autem satisfecit aliis, qui post Venæ sectionem in pede institutam, & clysmata emollientia injecta, dedit pulveres nitrosos, conchis & momento castorei remixtos, jussitque pediluvia adhiberi. Addere liceat hanc epixisin, quod morbus nomine idem, non auscultet ubique eidem medicamento; quod ratio diversitatis, qua magnam partem petenda sit ex temperamento habituque ægri, quorum itaque necessaria est observatio. In hoc casu alter erat phlegmaticus, debilis, senex; alter sanguineus, habitus pleni & hæmorrhoidarius. Quin multa nostra remedia domestica, ob hanc neglectam cautelam, dubio & anicipiti exitu sint periculosa, dubitari nequit. Evolve vulgares indices, & aures commoda illis, qui centurias fundunt remedium domesticorum, & vix literam aut verbulum de ægri natura & constitutione deprehendes.

### §. 6.

Neque omittit, quicunque in tradenda historia remedii domestici experientiæ studet, inter alias facti circumstantias §. 4., eas, quæ morbum immedia- te præcedebant, & videri poterant ad illum quo- cunque modo fecisse. Sic habenda ratio inge- storum & applicatorum, adeoque aëris, cibi, po- tus, vaporum, vulnerantium &c. Sed & men- tio fiat Gestorum, ut motus corporis, affectus animi, somni & vigiliarum; neque negligantur Excreta & Retenta &c.

Res sape exigui momenti, longum & rebellem morbum secum trahere possunt, si prædispositis acci- dant.

dant. Qua quidem occasione recordor observationis, quæ legitur in A. M. H. Thomæ Bartholini Vol. IV. A. 1676. de illustri Polono sexagenario, qui dum Haffniæ æstivis mensibus scriptio*n* defudat, & mensæ nigræ matmoreæ nullo stragulo tectæ assidet brachiis fere nudatis, contraxit intensos per brachia dolores, quibus eum Medici nullo modo plene liberare poterant. Cum hujusmodi circumstantiæ sint occasiones morborum, & accedant cauſæ prædisponenti eamque excitent, a Medicis dictæ sunt *cauſæ occasio*n*ales*. Patet vero, ut de prædisponentibus in §. 5., quam necessaria sit harum expositio. Si secure volueris exhibere idem medicamentum duobus subjectis, cauſæ prædisponentes & occasio*n*ales, quæ proximas constituunt, non erunt in uno subjecto contrariæ illis in altero; de eo autem vix aliunde rescire poteris quam ex facti historia: in qua ergo simul cum prædisponentibus, expoundæ occasio*n*ales. Sic in allatis exemplis §. 5. & in sene quidem erant doloris colici cauſa occasionalis alimenta fermentationi & cruditatibus generandis apta, in altero, subsistens sanguis per hæmorrhoides excernendus. In priori casu peccabat cauſa frigida secundum veteres, in posteriori febrilis æstus aderat, adeoque calida potius. Causas e diametro oppositas aggressus est, qui medelam promittebat, eodem medicamento. Quid mirum itaque, quod male ei cederet negotium. Nec nostri vulgares indices remediorum domesticorum occupari voluerunt circa cauſas occasio*n*ales morborum, quorum curationes tradebant. Ac dum brevitatis studiosi sunt, inculpantur a tentantibus illorum experientia, quod neque studiosi fuerint veritatis.

## §. 7.

Inter facti circumstantias, quarum ratio habenda

benda est in historia medicamenti domestici §. 4 primas tenent phænomena ipsius morbi. Ea vero præsertim, quæ essentialia morbo sunt, dicta Symptomata pathognomonica, quod hunc ab aliis omnibus distinguant. Horum accurata expositio facit, ut tutius in usum vocare possint alii medicamentum idem; inservit indagandæ causæ proximæ morbi, detegitque peritis artis medicæ verum morbi nomen.

Itaque dum in historiis medicamentorum domest. negliguntur phænomena, caremus recensitis commo- dis, cum ingenti eorum danno, qui medicinam dome- sticam consulere necessum habent. Neque enim tutæ satis est commendati medicamenti applicatio, cum ex phænomenis, quæ maxime produnt latentem cauſam, fieri nequeat comparatio; neque spes est perveniendi ad notitiam morborum, qui endemii & epidemii graſ- fantur in patria nostra. Quanta vero circa nomina mor- borum confusio? Rutam hortensem commendat *Palmberg* in *Sertis fl. sc.* contra Pleuritidem (Sido-styng) Inec addit, verane Pleuritis intelligatur, cum pulsu du- ro & calore summo, inflammationis pleuræ comitibus; an notham velit, quæ sine febri, a cauſa potius fri- gida. Certe hortensis Ruta, quæ in hoc casu inno- xiūm esset medicamentum, evaderet in illo venenum. Helsingi vocant convulsiones, dolores & tremo- res, qui pueris solent periodice supervenire, *Rise*, no- mine nescio an alibi usitato, & medelam quærunt ex baccis Laureolæ in unguentum redactis cum aliis pinguibus. Vidi hos, qui medicamenta contra dictum morbum dispensant, (sunt enim, ut apud Agyptios, a- liqui certi morbi curatione celebres.) omnia puerilis

ætatis

ætatis mala ipsi imputare. Sed hujus farinæ alia o-  
mitto. Non exspectemus a vulgo rudi & terminorum  
artis signorumque imperito, quod Medicis ipsis ali-  
quando crucem figit, morborum volo veram & ac-  
curatam diagnosin: ita enim complicatus saepe mor-  
bus est, diversaque Protei instar induit schemata, ut  
quo potius nomine citare velis, plane haeresas.

Dum symptomata morbi pathognomonica in plerisq;  
historiis medicinæ domesticæ locum non inveniant,  
neque mirari convenit homines magni alias judicii &  
acuminis, tantum pretii uni domestico medicamento  
imponere, ut omnibus commendent, imo moleste se-  
duli obtrudant. Nam si symptomata scirent eorum-  
que in utroque casu rationem haberent, nullus dubi-  
to, quin abstinerent immeritis encomiis, parcerentque  
civibus. Novi virum magnæ dignitatis, qui ubi-  
cunque de domesticis sermo incideret, firmissime  
asseverabat, contra omnem phthisin pulmonalem se-  
curum haberi remedium in duobus tribusve cochlea-  
ribus spiritus vini Gallici, quovis mane sumtis. Vide-  
rat sine dubio aliquos dicto medicamine sanitati resti-  
tutos, qui post insigne digestionis vitium, sensum gra-  
vativum ventriculi, nauseam denique, tussi infestaban-  
tur sicca initio, humida tandem, diutina ac molesta,  
h. e. tussi, quæ omnibus signis stomachalem referebat,  
vel stomachico-pectoralem, cum notabili habitus cor-  
poris & virium decremento. In hac tussis specie ob-  
servarunt Medici, prodesse spiritum vini Gallicum ad  
duo vel tria cochlearia tempore vespertino. Conf. Junck.  
Conf. Medic. Tab. de tussi. In vera autem phthisi pul-  
monali seu exulceratione pulmonis, aut in stadiis ad  
hanc proximis, vix unquam cum fructu adhibetur.  
Nocet spiritus vini usurpatus contra phthisicam tus-

sim; non vero plane damnandus, si dependeat morbus a stomachi cruditatibus.

### §. 8.

Desidero etiam in historia medicamenti domestici, & summo jure referto inter facti circumstantias, quas attendere debet, qui ad experientiam provocat §. 4. accuratam descriptionem medicamenti, præparationis modum, methodumque exhibendi. Sic enim facilis erit experimenti repetitio, non difficile judicium de medicamenti efficacia, & spes non dubia incrementi doctrinæ hujus longe utilissimæ.

Prolixe deberem inculcare hæc omnia, quorum neglectus mirum quantum retardaverit Medicinam domesticam. Sed exemplis contentus ero. Petroselinum herba est oculis amica & ophtalmica, si sola usurpetur; quod si vero aliis intermisceatur, intensiores dolores & inflammationem concitat, sive interne sive externe adhibita, referente Boylæo de *util. Phil. exp.* Si Asparagi nondum prodierint, toti albi sunt & fætentem reddunt urinam cum stranguria; si vero surculus abscindatur, jamjam in ramos abiturus, Galorum more, nec ab esu fætet urina neq; movetur stranguria *Berh. Histor. pl. m. 504.* Hæret plantarum medicata vis aliquando in semine, nonnunquam in floribus, sape in foliis, non raro in cortice & ipso caudice, plurimum in radice. Sic frustra querere poteris in floribus, quæ invenerunt alii in radice. Expertis spirituosum & fragrans plantæ principium, id dabit infusum, aqua destillata & oleum, quod una cum aqua ascendit; desideras saponaceum & salinum, id decoctum ejusdem præbebit. Eorum vero, quæ ad diætam ægri

ægri pertinent, magnam habendam esse rationem, omnes uno ore confitentur. Alimenta & potus, somnus & vigiliæ, motus & quies multum ad rem faciunt. Et justa veterum laus est, quod omnem moverint lapidem, ne quid horum curationis intentioni deesset.

### §. 9.

Atque ut pateat in historia medicamenti domestici, auctorem ea tantum ab experimento inferre, quæ vere seqvuntur §. 4., & curationem certe competere laudato medicamento, nec alii; fiat mentio temporis, quo porrigebatur, morbi status, & in acutis quidem dierum ab initio ingruentis morbi, remissionum & exacerbationum in acutis & chronicis, evacuationum imprimis, & si fieri possit, qualis pulsus, lingua & urina.

Medicamenta sunt instrumenta, quæ per experientiam inveniuntur apta dirigendis viribus corporis humani ad sanitatem §. 1. Constat vero aliquando vires corporis humani sponte dirigi ad sanitatem, absque auxilio medicamentorum; ne itaque, quæ naturæ solius sunt (naturæ vocabulo intelligo effectus ex mechanismo corporis humani resultantes), impudentur arti, seu medicamentis domesticis in hoc casu, caveat necessum est, quicunque historiam medicamenti domestici communicat. Id vero fieri potest, si prædictas adferat circumstantias, & judicium relinquit peritis. Sed hoc loco taxandus est multorum error circa vires medicamentorum in genere & domesticorum in specie. Sunt enim, qui medicamentis nihil omnino tribuunt, dicentes naturam solam totam

tam rem absolvere ubivis, nec opus esse medicamentis. Sunt qui naturæ abjudicantes virtutem & efficaciam omnem, morborum sanationem unice deberi afferunt exhibitis medicamentis. Hi in duo extrema incidentur. Nam quamvis naturæ auxilio & viribus corporis semper opus habeat Medicus, §. i. & quamvis morbi dentur, quos ut experientia docet, natura sola sanat, quales in primis febres ardentes, catarrhales, pleuritides, peripneumoniæ; evincit tamen eadem experientia, quod medicamenta, si a prudenti medico porrigantur, non tantum in dictis morbis naturæ sociam operam præbeant ad scopum suum citius tutiusque obtainendum, sed etiam multos morbos superent, quos natura sibi relicta tantum abest, ut expugnaret, ut potius illis magis magisque succumberet. Tales sunt scorbutus, phthisis, inveterata epilepsia, hydrops fere omnis, pathemata a lumbricis excitata, apoplexia, lues venerea. In hisce quidem morbis aliisque multis passionibus chronicis, ea medicamenta, quæ optatam restituunt ægro sanitatem, merito curationis laudem reportant, nunquam a natura dubiam reddendam. Interim morbi rationem, qua remissiones & evacuationes desideramus, ne ulla relinquatur dubitandi ansa de efficacia medicamenti, præcipue cum in quibusdam chronicis laus sua maneat naturam, & constet enumeratos aliquando si leviores, mota quacunque evacuatione salutari solutos fuisse. Magnam virtutem tribuebat Wedelius radici Telephii seu Crassulae majoris, appensæ inter scapulas in Hæmorrhoidibus cæcis & dolorib; vide *Bartsb. A. M. H.* sed in iisdem Actis legitur ab alio observatum, quod vix succedat experimentum, nisi alvus laxa servetur. Mutationes morborum aliquando a causas externis & fortuitis de-

pen-

pendent, nec medicamentis imputari possunt, nisi ut Hispanus quidam tribui volebat a se datis pharmacis, ruptam feliciter pectoris vomicam sub ingenti consternatione, multisque angoribus, quos mula Hispani, ipso inscio, ægro facesserat irrepens in cubile miseri & jamjam agonizantis. Vide *Bohnii Offic. Med. dupl.* p. m. 24.

In acutorum historiis, solliciti sumus de diebus criticis & tempore, quo laudatum medicamentum propinabatur, ut constet, quibus maxime natura adjuta sit, quoque ordine exhibenda, dum repetitur experimentum.

De efficacia laudati medicamenti, maxima dubitandi ratio est, si medicamentis temere & multoties variatis aggrediamur morbum. Sæpe enim nescit acutissimus, cui laudem deferat curationis. Unde recte respondent aliquando rustici, de medicamento domestico rogati, quod morbum expugnaverit: *Vi frästade alt hwad folket sade, och är swifft hwilketdera halp.* Ut plurimum vero celebre evadit medicamentum novissime exhibitum, quippe ipsi omnem gloriam curationis adscribere solent; sicut non raro omnem restitutæ valetudinis laudem reportare solet medicaster, qui ultimo ad ægrum vocatur, licet Medicus potiora jeicit curationis fundamenta. In quo quidem casu, tolerabilior ester conditio Medici meliora meriti, si talis fortunæ filius cum illo apud *Hildanum*, Medico, cui honores & præmia jure debebantur, acclamaret: *Ecce Domine Doctor, Tu sementem fecisti, ego messem.*

### §. 10.

Ac ne qua circumstantia, quæ vel lynceos oculos aliquando fugere potest, omissa reddat totam

tam rem irritam, opus est testetur repetiti experimenti successus, experimentatorem diligenter ad factum attendisse, quod requirebatur §. 4. Adeoque non communicetur medicamentum domesticum cum publico, nisi experimentis repetitis probatum.

Postulato de repetendis experimentis non raro se satisfecisse gloriantur vulgares remediorum domesticorum Indices. Certum est quod plurima ab aliis mutuati sint; reliqua, quibus appenditur illud *Probatum est*, ut hedera non vendibili vino, an una vel altera vice tentaverint, nescio. Haud tamen requiro tot repetita experimenta, quot Honoratus Fabri scivit de usu salubri corticis Chinæ. *Supra centenos*, inquit, appellarre possem, quibus salutaris fuit; & Em. Cardinalis de Lugo plus mille schedulas cotidem pulveris, cum sperato ac late successu exhibiti testimonia asservat Tr. 10. p. 482. Vellem meminissent omnes remediorum confarcinatores eorum, quæ Schelhammer in notis ad *Conr. Intr. ad art. med. de medicamentis in genere* judicat, & nos ad domestica applicare possumus: *Satis superque nobis est medicamentorum*, ita ut laboremus ubertate, selectione itaque studendum non simplici collectioni.

## §. II.

Si docuerit experimentator in historia medicamenti domestici, ægri constitutionem, habitum & alias corporis conditiones §. illa, quæ præcedebant morbum §. 6. phænomena & symptomata in primis pathognomonica §. 7. medicamentum, methodumque exhibendi §. 8. statum morbi cum exhibere.

Hiberetur §. 9. si saepius experimentum repetierit §. 10.; attendit utique ad factum, factique omnes circumstantias, adeoque ad experientiam suam provocare potest §. 4, & tradidisse dicendus est medicamentum domesticum §. 1.

In ipsa pertractatione hujus Capitis egi de inventiendis medicamentis domesticis, & regulas tradidi ex natura experientiae. Cum vero inventa medicamenta domestica totidem sint historiarum, quas auctor & experimentator sibi ipsi initio texit; visus mihi sum com mode tradere posse simul cum inveniendi methodo ipsa requisita historiarum, quae cum aliis communicantur. In hac paragrapho ostendo coronidis loco id demum medicamentum domesticum dici posse, cuius historia secundum regulas datas traditur. Hisce jam liceat sequentia subnectere

#### COROLLARIA.

I. Quod non vulgaris ingenii res sit tradere veram historiam medicamenti domestici. Mirum est, quantæ rem difficultatis sentiant, si quos ex plebe rogaveris de morbo, quocum conflictantur, & de adhibita medicina. Nisi formatis questionibus, ut Ariadnæ filo eis subvenires, nunquam credo ex labyrintho illo evaderent; adeo novissima primis confundunt & obliviscuntur circumstantiarum, quæ maxime ad rem, in aliis verbosi nimis. Requiero in experimentatore scientiam cum pari prudentia conjunctam, ut naturæ & artis facta sollicite observare, & perspicue aliis exponere queat.

II. Raræ sunt medicamentorum domesticorum historiarum, quæ requisitis §. 11. satisfaciunt; pauca itaque habentur medicamenta domestica re & meritis, quamvis nomine multa. Evolve nostros vulgares indices, pro-

missis quidem lataberis, facilemque malis haberí mede-  
lam credes, sed mox dolebis omissas esse circumstantias,  
quæ rem maxime variant, ut plane nescias, an spe suc-  
cessus, vel damni periculo tentari queant. Multi tamen  
curantur, dicis, medicamentis domesticis, qualia jam  
circumferuntur. Fateor, & perswasus sum plures longe  
iisdem curari posse, si cum debitis cautelis adhiberentur.  
Jam vero, si de curatorum numero excludantur, quos  
natura sola, aut commoda diæta cum V. sectione sanant,  
aut qui post breves inducias graviora patiuntur, pauci  
supererunt. Exempla sanatorum diligenter notamus,  
eorum vero, qui male habuerunt, brevi obliviscimur.  
Satis tamen multa reperiuntur in scriptis medicorum. Se-  
quentia possunt nostris hominibus usui esse. Dede-  
rat circumforaneus puero icterico septem vel octo in-  
fecta, quæ capilli maxime tegunt, devoranda. Dispa-  
ret morbus, in ejus vero locum succedit pallor summus,  
appetitus caninus & insignis Atrophia, mors denique.  
In mortui ventriculo, sectione instituta, obtulit sese pe-  
diculorum monstrosæ magnitudinis in unum congloba-  
torum colonia, qui natales debuerant assumtis, & misero-  
tot lacrymas moverant. V. Th. Bartholini *A. M. H. V. III.*  
*p. 168.* Scio esse, quos vini potus liberavit a febri intermit-  
tente, alios vero absterreant verba eximii nostri Linde-  
stolpe in *Tr. de cortice Kinkina p. 28.* *Thet wet jag, at*  
*en wacker Student i llpsala 1704 ville dricka bort Frossan med*  
*Portugis Win, men fans om morgonen död.* *En annan i Stock-*  
*holm försökte thet samma med Rhenst Win, men fick en het-*  
*sig Feber therpå, och stor förstoppelse.* De quartanario, qui  
dum potu liberali spiritus vini abigere volebat febrim,  
mortuus concidebat, refert ex Fernelio Hoffmannus.  
At multa, inquis, sympathetica adhiberi possunt sine  
periculo. Concedo ita fieri, dum vero in istis dubiis oc-  
cupamur, solet elabi temporis punctum, in quo justa me-  
dicina

**dicina valet.** Quod de spectrorum historiis sensit olim il-  
lustris Pufendorfius, sentiendum puto de historiis cu-  
rationum per Sympathiam: Non omnibus facile fidem  
habendam, neque negandas omnes. Multas fortiori tri-  
buo imaginationi, plures malis de effectu medelæ con-  
clusionibus. Sic vidit Celeberr. Hoffmannus non mo-  
do iis sudorem moveri, quorum urinam coxerat cum  
pulvere famigeratissimo ex Vitriolo, Sale communi &  
Sulphure; sed iis etjam, qui cum sua urina institui opina-  
bantur experimentum. *V. Diss. de cognosc. Medic. efficacia.*

III. Tum demum emerget Medicina domestica ex  
difficultatibus illis, quæ undique premunt:

1. Quando innotescunt omnibus regulæ, quarum ob-  
servatio necessaria est in inveniendis & communicandis  
medicamentis domesticis; ac tollitur præjudicium, ines-  
se medicamentis vim absolutam edomandi hunc vel il-  
lum morbum:

2. Quando in patria nostra carissima Viri probatæ fi-  
dei & doctrinæ, Medici in primis, colligunt medicamen-  
torum domesticorum historias ad normam adæqua-  
tæ experientiæ, eas cum Publico communicant novisq;  
locupletant inventis. Initium fecit Ampliss. atq;  
Experientiss. Medicus Ord. S. R. M. & Medicinæ Profes-  
sor Nicolaus Rosén, idem optimus Theoreticus & fe-  
licissimus Practicus, in adjectis ad Calendaria observatio-  
nibus de medelis domesticis. Ut opus coptum continuet  
Nob. Vir, optant quicunque patriæ amore tenentur.

3. Quando res naturales patriæ & indigenas ex triplici  
naturæ regno plenius describunt viri curiosi & docti, &  
juventus in inferioribus scholis eruditur nominibus plan-  
tarum, quæ frequentissimæ sunt. Sic enim sentiret Materia  
Medica incrementa longe uberrima, & confusiones ex  
falsis nominibus oriundæ possent vitari. Hucusque mi-  
nimè satisfactum est iis, quæ postulabat §. 8. desideramus

ſæpe descriptionem medicamenti domestici accuratam, qua nomen, figuram & effentiales characteres. Ut vero ad hanc rem qualemcumque symbolam contulisse videar, dabo heic figuram & descriptionem Lichenis, qui multis nostrum in usu est, ut medicamentum domesticum contra Phthisin pulmonalem. Non in omnibus innotuit provinciis, neque scriptores Medicinae domesticae illius mentionem fecerunt, quantum ego scio. Unicus est D. D. Linnæus, Clarissimus nostri seculi Botanicus, qui de ipsis usi in Flora Lapponica commentatur:

*Lichen foliis oblongis laciniatis, marginibus conniven-  
sibus, ciliatis. Fl. L. Muscus catharticus Act. Hafn.  
1671. Muscus in Islandia purgans Sibbald. hist. nat. Scot.  
p. 39. Muscus Islandicus purgans. Muscus esculentus.*

Crescit in sylvis siccioribus rectaque maximam partem enascitur ex terra, ramosus, dextro latere viridis seu ex virote glaucus, sinistro albus, cartilaginosus præterea & membranosus, lato ungue vix latior, sed



in longum varie  
hinc inde spinosis  
mæ partes asper-

vel ex rubro ferrugineis, que precipiti autumno evanescunt. Confer I. c. ex  
A. M. Hoffn. & Breinum in Eph. Med. Phys. 1672. p. 439, cui figuram debeo.

proserpens, costis  
horridulus; extre-  
mæ maculis rubris,

Primus hunc protraxit in lucem Borrichius, cumque ex  
Islandia deferri tradidit, ubi a colonis primo vere ad-  
hibetur

Hibetur ut purgans, reliquo aetatis comminutus in farinam admiscetur pulmentariis. Eodem fere tempore laudat eum Breinius in fracturis crurum, coctum cum cerevisia Gedanensi, additis radicibus Consolidae majoris, in unguentum. Quod suspicatur de virtute ejus antiphthisica & pectorali, id jam quidem plures Fahlunæ & in Vermelandia expertos audio. Est saporis amari-  
cantis, si vel integrum annum asservetur. Diversæ præparandi rationes in eo conveniunt, quod eluatur & separetur amarities illa, in qua sine dubio vis purgans re-  
sidet; ac deinde cum lacte caprino coquatur. Debentur vires pectorales mucilagini, quæ ipsi copiosa inest. Ejus quinque manipuli cocti cum aqua per quatuor horas, dabant mihi Decocti colati uncias fere novem, quæ mox abibant in mucilaginem spissam satis, amari saporis. Accuratas hujus medicamenti historias non habeo, adçoque plura de eo referre nequeo.

## CAPUT SECUNDUM.

De

### *Medicamentis Domesticis in Dysenteria.*

§. I.

**A**nnus erat MDCCXXXIX, & mensis Sept. cum Suderhamniæ Helsingorum grassaretur Dysenteria (*Blodsot*, *Rædsot*), ex intestinorum torsione & doloribus cruentaque alvi dejecione, facile cognoscenda.

Vetus est observatio, quod Dysenteriæ potissimum invadant aestate ad finem properante, vel ineunte au-  
tumno. Primum impetum sustinuit Suderhamnia; Mox  
adjacentes parœciae Norala & Söderala senserunt. In  
reliquis parœciis Helsingiæ Australis Hanabo, Båldnås,

Skog;

Skog &c. vagatum est dirum malum hisce duobus annis, multamque stragem fecit. Possent tandem hujusmodi morbi epidemii & prædici & averti, si haberentur eorum historiæ accuratæ, multis annis collectæ.

### §. 2.

Situm est oppidum nostrum in humili & palustri loco, atque ita quidem ad radices duorum montium, ut a Borea & Subsolano undique perflari possit. Ceterum variabant maxime tempestates mense Augusto dicti anni. Diurnos calores nocturna frigora excipiebant, utrisque interponebantur frequentes pluviæ.

Hujusmodi situs & tempestas favent Dysenteriis. V. Hoffm. Med. Syst. P. III. S. II. C. 7. In parœcia Båldnæs, quæ distat quatuor milliaribus Suderhamniæ, illi in primis pagi mulctabantur diro hoc morbo, qui sunt in solo palustri, subhumido, & ad fluvios siti, ut ex literis, inde ad me missis, video.

### §. 3.

Fortè eodem tempore venerat quidam Dysentericus Holmiæ. Hic ex navi, qua veetus erat, in oppidum exponitur. Paucis interjectis diebus, ægrotant multi ex familia domus, in qua decumbebat, eodem morbo; mox latius tracta contagione, alii plures passim in oppido. Observabam quod sævus hic morbus plurimum pueros intra octavum & decimum quartum ætatis annum infestaret: neque tamen parcebat florenti ætati utriusque sexus, aut ætate firmatis. Erant tamen omnes terre ex plebe & ultimæ sortis hominibus; multi autem, in quos nulla suspicio cadere potuit contracti mali ex elu fructus horræi, immaturi. Excipi-

Excitatæ videtur Dysentericus ille gliscentes mali scintillas, ut in luculentum ignem erumperent. Non tamen nego, quin sponte potuiscent concipere malum prædispositi, quocunque diætæ vitio interveniente. Hinc est, quod illos maxime feriret morbus, qui aëris injuriis corpora objicere necessum habebant, assiduis putimbris, diurno æstui, nocturnoque frigori, quibus transpiratio sufflaminatur, & humores a corporis peripheria introrsum vertuntur. Pueri cruditatibus & acrimoniis acidis obnoxii sunt, ob debilem in illa ætate digestionis officinam.

#### §. 4.

Morbus ipse procedebat solitis phænomenis. Incipiebat Diarrœa, hanc citius vel tardius sequentur horror & rigor, febris, intestinorum tormenta, & molestissimus sensus viscerum quasi descendenter, dolores in quibusdam circa umbilicum solum, in pluribus ad hypochondrium utrumque extensi, cum frequentissimis dejectionibus materiæ pinguis, mucido - cruentæ, & doloroso desideri conatu seu tenesmo. Aderat calor, sitis, rubor faciei & virium summa prostratio.

Erant, qui diebus novem, immo quatuordecim conflicitabantur cum alvi fluxu, doloroso quidem, sed non cruento, & tolerabili, ut lecto abstinere possent.

#### §. 5.

Concludebam ab iis, quæ præcesserant §§. 2, 3, & a phænomenis morbi §. 4., deponi ex sanguinea massa in canalem intestinorum materiam quandam serosam, mucescentem, coalitam cum particulis heterogeneis, acribus, in lendum ac causti-

cum magma; sub hac vero segregatione, & ab illa ipsa materia vellicari sensibiles intestinorum tunicas, & proritari ad torminosas constrictiones: ad curationem itaque requiri *temperantia* & *evacuantia* materiam acrem. *Sopientia* spasmos intestinorum, *corroborantia* denique debilitata, aut alio modo læsa intestina.

### §. 6.

Ut dicta §. 5. obtinerem, svadebam initio morbi serum lactis copiose hauriendum, & interdum decoctum tenui hordei, aut juscum pulli gallinacei, pauxillo nitri adjecto. Interponebam pulveres ex testis ovorum, conchis & nitri dimidia reliquorum parte, usque dum febris levaretur. Aliquando addidi potui prædicto vitellum ovi bene conquassatum. Dum malum intra diarrhœam subsisteret, propinavi radicis Rhei drachmam semis & **Corticu[m] Cinnamomi** scrupulum dimidium. Ut pedes & corpus a frigore servarent, ante omnia monui.

Commendatissimum est serum lactis in hoc morbo, inde usque a magni Sydenhami temporibus, qui multus est in ejus laudibus V. Op. *Sydenhamii*. Bagliv, lumen illud Medicorum, quos Italia genuit, vocat *fere specifex in Dysenteria*. Quod non aliena a veritate dixerint, ipse expertum habeo.

*Quid de Ipecacuanha, famosissimo aliorum antidy-  
senterico, teneant nostri Medici, non legi. Mihi occa-  
sio fuit unica vice illam adhibendi, non sine successu  
optato. En morbi & curationis historiam. Vir 45 an-  
norum, constitutionis debilioris, laboribus tamen ex-  
ercitus*

ercitus, cum in marinis juxta Suderhamniam commo-  
raretur oris, lignationis caussa, afficitur Diarrhoea, quam  
post dies paucos comitari incipiunt tormina tendentia  
ex umbilico deorsum ad utrumque hypochondrium. Fe-  
brilis calor & ingens sitis infestabant, posteroque ma-  
ne excrementa cruore mista. Hora A. M. IX. propi-  
navi scrupulum unum Ipecacuanhae in sero lactis, po-  
tumque ejusdem seri, dum vomitus instaret, injunxi.  
Non diu post assumptum pulverem sentiebat levari dolo-  
res. Exantlati vomitionum laboribus dedi eadem vespe-  
ra Laudani Liqv. Sydenh. gtt. sex in aqua destill. Lil. con-  
vallium. Ager convalescit, & proprio ausu sequenti  
die exit, suisque vacat negotiis.

Ut habeamus tandem verum hujus radicis succeda-  
neum, colligenda sunt ex indigenis ea omnia, quæ vi-  
pollent emesin movendi. In hunc censum venit Mu-  
scus ille, quem *Exper. D. D. C. Linnaeus* vocat

*Lycopodium caule eretto dichotomo Fl. Lap.*

Helsingis audit *Lumbrik*. Describunt, nisi valde  
fallor, Curiosi Germaniae hunc muscum in *Obs. 149.*  
*Anni 4. & 5.* sub nomine *Selaginis tertiae Thalii*, & re-  
ferunt quod vomitum cieat vehementissimum, corpus-  
que variis exoneret humoribus. Ejus decoctum a rusti-  
cis adhiberi dicit *D. Doct. Linnaeus* l. c. contra phthi-  
rias in pecudum, & interne aliquando usurpari ad vomi-  
tum hominibus excitandum, in parcadosi. Eundem hunc  
muscum colligunt in Helsingia multi ex vulgo, & in  
forma Decoceti propinant laborantibus febri intermit-  
tente, non sine fructu; saepe tamen in tanta dosi, ut an-  
xietates seqvantur summae, & purgatio supra infraq; pe-  
riculi plena. Novi datum esse in magna copia feminæ,  
quæ quartana diurna laborabat, & tantam inde ortam  
hyperemesin ac catharsin, ut de ea omnes actum esse

crederent. Interea febris remisit, & ægra convalescit. Tantum usum ex modica ipsius dosi exspectamus merito, quantum periculi ex immodica. Digna itaque res esset inquisitione, in quo præcipue vis hujus musci emetica consistat, quomodo præparari, & secure dari possit. Exiguus est numerus Emeticorum, quæ patria tellus fert; auctum vero desiderat Medicina domestica. En musci nostri descriptionem & figuram.

Ex una radice fibrosa, nigricante surgit caulis aliquot crassus, plerunque recurvis, in quo sum ambitu disponuntur folia crenatissima, tenuia, e saturo virore splendentia, acuta vesuti Juniperina. Semen, quo propagetur, nullum deprehenditur, ejus vero loco latent in foliorum alis capsulae subluteæ, reniformes, quæ maturitate sua per dorsum dehiscunt pulveremq; latum spargunt. Ab aliis congeneribus differt caulis bifidis, qui rursus in binos, rarius in ternos subdividuntur ramulos. Confer Dillenii N. P. G. & Scheuch. alp. p. 39. T. 6, unde desumpta est nostra figura.

### §. 7.

Devicto magnam partem febrili æstu, §. 6. dedi seminum Papaveris albi drachmas duas, Nitri scrupulum unum & Camphoræ grana octo; ex quibus in pulverem redactis, sumendam jussi portionem æqualem quater omni die. Profuit quoque



Cam-

**Camphora** ad scrupul. dimid. soluta in Olei lini non rancidi Uncia una, & tribus vicibus propinata incommodo juscule. In paucis casibus necessum habui confugere ad Laudanum liquidum Sydenhamii. Exterius abdomini applicari jussi chartam emporeticam in spiritu vini Camphorato madefactam.

Video jam laudari in Hist. morb. Vr. 1699. spiritum vini camphoratum in eodem casu: *Lintea spir. vini Camphorato imbuta & abdomini singulis duabus horis imposita, acerbissimos cruciatus egregie mitigaverunt.*

Plur. Reverendus & Praeclariss. D. Mag. Ol. Broman, Hudigswaldensium Praepositus, sibi non grave duxit, pro illo, quo erga patriam fertur amore, per literas mihi transmittere excerpta ex Traetatu, quem prælo paratum habet, de remediis domesticis ab ipso probatis in Helsingia, sub titulo: *Aesculapius Helsingicus, eller efter Dr. O. Rudb. ordatydé, Askelabben . . .* Commendat in Dysenteria scopo laxandi, Pilulas ex candida & stillante resina, quæ deprehenditur in truncis abietum, cum finduntur; scopo adstringendi, Decocta ex Elichryso, Bursa pastoris &c. Externe, balnea aquæ calefactæ ab immisis scoriis ferri. &c.

### §. 8.

Ad alvi fluxum cohibendum, si persisteret, dedi pulveres Tormentillæ & Nucis moscatæ, in Electuarium redactos cum Theriacæ Venetæ pauxillo, Bolo cinerea Helsingorum & syrupo Myrtillorum nigrorum. Curationis finem feci essentia aromatica ex Cinnamomo, Mace & Radicibus Pimpinellæ in spiritu vini infusis.

*Bolus Helsingorum cinerea*, est ex Regno minerali terra, quæ lenissima sentitur digitis tractata, instar ma-

teriæ oleosæ linguæ adhæret, constans tenuibus lami-  
nis, quarum una videtur alteri superincumbere. Repe-  
ritur in Helsingia juxta Suderhamniam ad portas oppi-  
di, quæ Occidentem spectant, & in Parœcia Niutånger.  
Est inter omnes bolos & terras sigillatas, quæ in com-  
muni usu habentur, mollissima & subtilissima. Inje-  
cta in vitrum aqua plenum mox fatiscit in pulverem  
tenuem; pluviis tacta deponit cinereum, & rube-  
scensem induit colorem. An hæc est Humus con-  
chacea, Helsingmylla, Linnæi *Syst. nat.* & unde constat,  
quod sit ex destruncto animali conchæ lævis, oblongæ ibi?

## §. 9.

**Tenesmo molestissimo §. 4. opem tulit fotus ex decocto florum Chamomillæ & Sambuci in lacte.**

Cum paginæ angustia impedit ubiorem dictorum expositionem, addam duas historias ægrotorum eodem hoc morbo, ex quibus patet, quantum damni ex adhibitis domesticis sine methodo ulla, sæpius oriatur:

Puella decem annorum queritur intestinorum tortuina & alvi fluxum. Pro-  
pinant parentes cerevisiam tenuem, cui inspersus pulvis Nucis Motcatæ. Q-  
omnia vero vomitu rejicit, qui violentior evadit suato aceto cum pulvere Gallar-  
um. Elapso in hoc statu nycthemero uno cum dimidio, dantur ad sistendos vo-  
mitus tres doses Theriacæ Venetæ. Supprimuntur vomitus, ægra vero tacitura  
jacet, ne verbo quidem reddito ad quæstiones, de mali sede & violen-  
tia. Interea urget fluxus alvi mucido-cruentus, & cum primis diebus ipsa  
surgeret ad alvum reddendam, jam signo dato elevatur ab aliis, tandem in-  
sciz prodeunt excrementa. Quinto nycthemero placida morte exspirat.

Cum Dysenteria sæviret præterlapso anno MDCCXL mense Augusti in  
parœcia Mo Helsingorum, afficiebatur fœmina 59 annorum Diarihœa, quam  
perpessa XIV. diebus, sumit metu Dysenteriæ lapidem calaminarem cum ar-  
gilla fornacis pistorum (Bakugns-Ler) in lacte. Sublatus est alvi fluxus; ve-  
rum post III. hebdomadas sensim intumescere coepit abdomen, usquecum ægra  
lecto affigeretur. Hoc anno mense Januarii, ut ex literis inde ad me transmissis  
percepi, increverant abdomen & hypochondria in tumore, qui minabatur  
rupturam omni momento, præcipue si cibum potumve sumisset. Pauxillo se-

ri lactis vivere cogit, Anxietates præcordiorum queritur, & sen-  
sum arctæ fasciæ regioni pectoris injectæ.